



PRÆFAMEN.



Trentione maxime digna sunt summi Medicorum Hippocratis verba Lib. de arte §.7. *Quæ profuerunt ob rectum usum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt. Nam non minus ea, quæ damno sunt, quam ea, quæ opem ferunt, testantur, quod ars sit. Ubi enim rectum & non rectum utrumque suum habet finem, quomodo quis hoc artem esse neget. Hicce sapientissimus vir universæ artis & exercitationis fundamentum compendiose & dilucide complexus est. Nam quicumque in auxilium prona remedia probe callet & prudenter iis uti scit, eorumque noxam atque exitium, quod improvida adplicatio adfert, intelligit, is certe in artis exercitio magna cum felicitate versabitur. Neque enim in natura, sicut perversa cum vulgi, tum indoctorum Medicorum fert opinio, dantur adversus morbos certi effectus remedia, quin potius ea tam*

A 2

ad

ad salutem, quam ad damnum inferendum parata esse censendum sit. Etenim omnia remediorum genera ejus virtutis ac indolis sunt, ut cum prudentia ac solida ratione data saluti & præsidio sint, incaute vero, turbulenter & temerarie exhibita præsentissimum damnum adferant. Præcipuum itaque artis salutaris momentum est, usum & abusum remediorum probe addiscere, quamobrem quo quis majori experientia hac in re versatus est, eo melior certe Medicus est habendus. Quemadmodum vero non ejusdem indolis sunt remedia, sed ingens ratione virtutis & potentiae in ipsis discrimen annotatur: ita etiam eorum incauta applicatio plus vel minus damni aut periculi habet. Non igitur sine ratione remediorum genera in blanda & benigna, vel in fortiora & valentiora, sive securiora & minus secura solent dispesci. Equidem nec ullum in se & sua natura absolute tutum vel intutum, idest, quod semper & omni tempore profit vel noceat dicendum est, nam posterius e foro Medico esset proscribendum, sed tutum illud Medicis vocatur, quod temperatum & naturæ conveniens est, neque multum corporis vim alterat, insegurum vero illud dicimus, quod validiori naturæque minus amico principio instructum vehementer commovet, fortes evacuationes vel provocando vel valide motus naturæ sistendo, in quorum classem omnia validiora purgantia, vomitoria, salivantia, narcosin inferentia & fortiter adstringentia sunt referenda, eo quod magna hisce vis insit in corporis nostri tam solidas, quam fluidas

das partes agendi, unde vulgo generosa & heroica audiunt, quibus, si quid eximii ars præstare debet, non facile possumus carere. Ex quo unusquisque, nisi penitus iudicii expers sit, clarissime intelligit, validiorum usum majorem attentionem & prudentiam, quæ praxeos & rerum medicarum optima est moderatrix, desiderare, quam circa tutiora & benigniora opus sit, utpote quod illorum abusus vehementius noceat. Quum vero de medicamentis infecuris, eorumque ex male administratis noxa alio tempore dictum fuerit, idcirco jam opere non indignum fore existimaverim, si de nocumentis, quæ a remediis mitioribus atque benignioribus male adhibitis profluant, sermonem faciamus, idque laboris in præsens prospectum inaugurale suscepimus. Deus vero ter optimus maximus, qui unicus salutis humanæ fons ac præses est, ita mentis nostræ aciem dirigat, ut depulsis tandem errorum tenebris, infucatam veritatis lucem in artis nostræ operibus apertius intueri incipiamus.

I.

Acturi itaque de benignis remediis & de noxa, quæ ab eorum improvida adplicatione proficiscitur, non sine fructu arbitramur, ante quam ulterius progrediamur, exponere, nos per remedia non tantum intelligere stricte medicamenta e pharmacopia petita, sed omnia ea, quæ in salutem & auxilium idonea & morbis oppugnandis apta existunt,

A 3

sive